

Johann Barnstorff

**Maxime Reverendum ... Joh. Nicolaum Qvistorpium, Sacræ Theol. Doctorem ...  
Filio Desideratissimo Hugon Quistorpio ... Exeqvias Parare Significat, Omnesqve  
Omnium Ordinum Proceres ac Cives Academiæ Rostochiensis ... invitat : [P. P.  
Sub Sigillo Rectoratus d. 14. Dec. 1701.]**

Rostochii: Wepplingius, [1701]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769769055>


Druck Freier  Zugang



Barnstorff, J.,  
in  
H. Qvistorp.

Rostock. 1701.
















MAXIME REVERENDUM atq; AMPLISSIMUM  
DOMINUM,

DN. IOH. NICOLAUM  
QVISTORPIUM

SACRÆ THEOL. DOCTOREM ac PROFESSOR. CELEBER-  
RIMUM, REVERENDI MINIST. ROSTOCH. DIRECTOREM  
GRAVISSIMUM ET AD D. NICOLAI SACRORUM ANTISTITEM  
OPTIME MERITUM,  
FILIO DESIDÉRATISSIMO

HUGON  
QVISTORPIO,



MAXIME INDOLIS ac SPEI PUERO  
EXEQVIAS PARARE  
SIGNIFICAT,  
*Omnesque Omnium Ordinum Proceres ac Cives*  
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS  
AD EASDEM HUMANISSIME  
INVITAT.

JOHANN. BARNSTORFF,

J. U. D. & PROFESSOR PUBLICUS  
hodie ACADEMIÆ RECTOR.

ROSTOCHII, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.





Atis quidem magnus erit presentis vitæ fructus; quem post detritas mortalitatis exuvias anima olim, recuperato corpore percipiet. Res tamen in expedito est, ac divinis oraculis pieq; docentium, consensu abundat; non uno omnes gradu tempiternam felicitatem habituros esse. Et si, quæ lege prorsus contraria fiunt, sibi ex adverso posita invicem manifestissime discrimen indicant: recte ex æternis cruciatibus cum graduum discrimine infligendis (Matth. XI. 22. & 24.) gloriosam æternitatem metiemur. Doctrina quidem ista Theologorum est; ejus tamen fundamenta ac fides negotio adhibenda ad omnes spectat; quotquot unum numen colimus, uno sensu DEI gratiam recipimus, unamque salutem præstolamur. Dices autem: Quomodo salus vario modo usurpari, aut multiplici gradu distribui, & eadem tamen esse queat? Quid, si hoc cum unitate consistit, discrepabit impostero? Quod si autem communem hominum naturam sub tam multiplici facie ac vultu circumferri, & tamen eandem esse in omnibus sine stupore animadvertimus; quid de cœlesti gaudio scrupuli hærebit? Quod re ipsa quidem ac natura sua commune singulis, idem omnibus erit; quædam tamen quasi figura exteriori in nonnullis præstantius. Ausim equidem pro isthoc dogmate causam dicere; etiamsi vel per solam rationem staret judicium. Illud quasi rem judicatam extra litis aleam esse puto; raro sine misera pietatem colim, malis plerumque prospere agentibus. Quis vero, sive DEUM Patrem seu naturam matrem omnium appellet, rerum principium adeo deforme ac barbarum fingeret; quasi gratis partim pietatem requirat, partim scelera impune abire patiat? Nata est nobiscum regia æquitatis regula, ut *suum cuiq;* tribuatur; & cum animo alte inscripta sit, non statim cum corpore potest emori. Sed in ipsam quoque opinionem de diverso beatitudinis gradu ad vivendi sortem disposito ultro mens nostra consentit



tit; siquidem ex eo præjudicio bene de DEO merendi præsum-  
tionem, aureolarum classes & plurima insuper somnia commi-  
niscitur, etiam ubi sub fidei captivitate redacta esse perhibetur  
Quid quæso est illud, unde illum gravius altero peccare, aut ho-  
nestius agere pronunciamus? Quid sunt in jure nostro pro de-  
lictorum ratione exasperata supplicia? Quid virtuti sub varia  
specie objecta præmia? quam aperta divini judicii vestigia & se-  
culi imminenti præludia? Num enim homini concedendum  
putas, ut ille in pœnis modos, in præmiis gradus æstimet; Deus  
autem otiosus adesse aut graviora perpetrissis majora oblectamen-  
ta non destinasse statuatur? Illud non diffiteor cœleste gaudi-  
um ex merito nulli obtingere; neque propterea quod cœleste est,  
ei ullum summæ ac prorsus absolutæ felicitatis vel gradum vel  
numerum defore. Si tamen favorem gratiæ addere & ad ple-  
nam beatitudinem durius in hac vita habitis aut fidei majores  
progressus adeptis insuper quidquam adjicere velit divina clem-  
entia; Quis nisi stolidus illud detrectaret, aut invitus capefferet?  
Ergo quidem DEUM nemo beatus non cognosceret; om-  
nes integerrima sanctitate ac justitia divinam imaginem re-  
præsentabunt; nemo in ulla salutis parte laborabit aut deficiet;  
universus quippe in cœlo viventium ordo quasi una manu com-  
prehensam sui status præstantiam tenebit; omnes immutabi-  
li conditione vere boni erunt, erunt invicem optimi. Accidet  
tamen aliquibus citra omnem reliquorum invidiam ut detri-  
mentum vel augustior corporis splendor vel pars illustrior cœ-  
lestis ministerii, vel intimius cum angelis primoribus commer-  
cium, vel certe nunquam interimoritura ac inde ab ipso judicii  
die perpetim resonans animosioris fidei memoria. E DEI  
namque civitate ejectus est omnis livor & proscripta invidia;  
sive ut rectius dicam infinitis modis inde distat: Qui enim quæ  
cœlum nunquam intrarunt ejici possent aut proscribi? Æque  
tum patienter ferent beati quosdam suorum ipsos eatenus antece-  
dere, quam sidera invicem non colliduntur propter velociorem  
aliorum motum, aut majus lumen; quam corporis membra per-  
mutare



mutare aut potius pervertere suas vices non contendunt. Imo tanta quavis cum voluptate in sui status conditione acquiescet; Ut nunquam ullus ejus satietate nedum tædio capiendus; nunquam emendationis (quam ipse coelitem status non admittit) desiderio pertrahendus sit. Fallitur enim, si quidquam ego judico, quisquis gradum cœlestis gloriæ quemcunque spatio metitur; quod ullus velit transire, aut ad altiorem provehi locum appetat. Quod vero videtur similius, eo quod vix ulla Societas exemplo hujus negotii caret. Civitatem certe legitime constitutam videmus superiores alere ac subditos, patronos item ac clientes complecti; e quibus illa partim coaluit, partim adhuc nervos habet ac administratur. Recedi autem hic statim debet ab animi impotentia ac turbis, si nostra conditio cum beatorum vita committi debet. Tum vero in republica bene imperantes omnis bonus feret sine invidia, mos geritur magistratui, mutam sibi operam cives navant: omnes tamen illi intra Societatem sunt & ejus jura integerrima usurpant. Societas academica fere propius ad institutum accedit. Quis est philosophus sua arte illustris qui non æquissima mente patiatur Jureconsultum ad summa eniti, & ne velit quidem Jctus esse? Quis medicinae Studiosus ad stat obtrectator Theologiæ cultori? Omnes ad literarum gloriam grassantur, quam rebus bene compositis attingunt sine alterius cujusvis fraude vel contumelia. Imo domestica item Societas vel in pueris ætate quidem inter se diversis, & tamen æquo jure ad patrem familiam & hæreditatem pertinentibus exemplum præbet; ubi plus quam puerile foret, si serio omnes simul primogeniti esse vellent aut ultimo nati. Num existimas, si primæ originis terminos nemo transfiliisset, quemquam potuisse Adamo succensere, quod illi soli datum sit parentem esse omnium viventium; num putas quemquam idcirco potuisse de labe felicitati suæ illata conqueri? Non sane credo. Quare cum in humanis & quæ præ manibus sunt, usu venire sentiamus; ut unum idemque bonum plurimi sed alio atque alio



alio modo ac gradu participent! neque ullus torvo alterum vultu aut ambitiosa fronte respiciat: Cur non idem, & multo ad huc facilius, in cælo confisteret, quod terra etiam capi deprehendimus. Quo tamen ad ipsam rem, cujus causa nunc scribo, progrediar; non dubito pronam hinc mihi nasci materiam, quæ præsentem luctum tantis per relevare queat. nil dicam de aliis, quævis gradatim distribuetur cœlestis gloria: nec habeo quod contrapietatis doctores excipiam, qui solenne oraculum Dan. XII. v. 7. ita interpretantur: Eos qui fidei rationem Salutariter edocti fuerint, firmam menti splendore conspicuos; quique illis docendi operam navaverint stellarum lumini æquiparandos fore. Quamquam domi suæ instituendo & foras exemplo Jctus quoque (de quo aliqui *Doctores ad justitiam* nomen l. c. accipiunt) in pietatis negotio tantum promovere possit, unde olim in syderis locum abeat. Illud quæri hic posset: an tenera etiam ætas eos ferat, qui majorem gloriæ gradum capiant? Et fatendum plane est, si citra multum laborem ac prolixam in fide pugnam sublimior inter cœlites locus non obtineretur, infantum animas longè admodum post principia fore. Enimvero sicut infantilis simplicitas & animus a fastu omni alienus hodiernum nobis imitanda proponuntur; ita postmodum ipsis eadem profutura esse probabile admodum censeo. Quin etiam supplementum quoddam ætatis habituros esse, quos matura mors statim in prima infantia occupat, statuam; nihil, quod impediatur, deprehendo. Quia nempe ipsis vita Citius carendum fuit, cur gaudium impensius ad eos non redeat? Certe si etiam calamitates in piorum solamen aliquando nobiliori gloriæ gradu permutandas putamus; multum infantes licet non multa perpessi erunt, quos infesta fati celeritas in prima statim herba suffocat. Vita ipsa bonum est, quod alius forte cujusvis mali tolerantia ultro redimeret, quæque justo prius destitui ad supremum calamitatis articulum proxime accedit. Qualis calamitas cum spem certissimam in *optimo Puer* hodie sepeliendo reclinatam fatali ictu ante-



verterit; præsentissimum esse solatium *Nobill, Parentibus* judico: brevitatem vitæ mortemque tam maturam cum erepta in paternis avitisque vestigiis inclarescendi facultate; ipsi, quæ numinis benevolentia est, elegantiori inter beatos habitu ac loco compensatum iri. Videtur hunc solatii fontem, prægustasse *Maxime Réverendus optimi pueri parens Cognatus mihi multo æstimatissimus*; quando ad me perscripsit *redditum esse filiolum avo proavog, & sanctis nunc majoribus*. Qvos ipsos cum morbi exitialis historia, & quæ de indole pueri singulari accepimus, pro more nunc recensabo.

Nimirum is cui nunc supremum humanitatis officium deberi agnoscimus elegantissimæ puer indolis, HUGO QVISTORPIUS & propterea quod minimus natus fuit tenerius amatus VIRO *summe Reverendo atq; Amplissimo* DOMINO JOH. NICOLAO QVISTORPIO, S. S. Theol. Doct. ac P. P. *celeberrimo, ministerii Rostoch. Directori & Antistiti ecclesiastico ad eadem D. Nicolai gravissimo, Collegæ fautori, atq; Cognato nostro conjunctissimo*; Natus est A. 1697. d. 27. Augusti ex *Nobilissima ac Virtutis laude illustri Matrona*: ANNA CHRISTINA Lenthen / quam sibi a *Præ-Nobilissimo* VIRO DOMINO HUGONE Lenthen / *Consiliario Majest. Reg. ac supremo per Holsatium regalem Secretario, & integerrima fœmina* ANNA Rohlblatten / in viduati thori remedium fuisse relictam, *Nobilissimus maritus* post ipsorum fata deprædicat. Paternum nomen si a *Spectatissima, puritatis Theologo* JOHANNE QVISTORPIO, *in muneribus academicis æmuli filii præcessare ac ad D. Jacobi Pastore, per optimam matronam* SOPHIAM Scharffenberges / & inde ab *immortalis gloriæ ac summorum in Ecclesiam meritorum Doctore* JOH. QVISTORPIO *Seniore* qui in academia de eodem loco filio suo ac nepoti cessit ac Antistes Marianus fuit, ex conjug. BARBARA DOMANNIANA derivatum esse in HUGONEM nostrum dico: Jam plus dictum inter nos existimo de paternorum



norum majorum laudibus, quam ut quidquam alieni splendoris aut ornatus addi debeat. Maternum proavum nactus est DN. GERHARDUM Genthensium *FCium Clariss, ac Praefectum in Episcopatu Osnabrugensi decantatissimum* qui cum suavissima tum conjugè domo de BIBPAN Virtutum ac doctrinae laudabile exemplum reliquit posteris. Ii autem nunc omnes dudum intra Sanctiores relati partim *nepotem*, partim *pronepotem* suis accessisse partibus non sine gloria divini Nominis viderunt. Parentibus autem, (adhuc dum enim uterque superstes est filiali funeri, & imposterum eos sine querela & luctu serae posteritati superesse precamur) uti grata fuit egregia hæc proles, ita DEO eandem acceptam facere prima fuit cura, quam infante ad renascendi fontem admoto, & quamprimum per ætatem potuit, ad preces ac pietatem assuefacto strenue exequuti sunt. Quod si ex teneræ ætatis indiciis hominum ingenia, qualia apud viros futura sint, feliciter æstimantur; certe pueri hujus mores festivi, habilis memoria & quantum in eum cadere poterat, industria laborisque affectatio ex ipso *ternorum Magni Nominis QVISTORPIORUM compendium* orbi docto pollicebantur. Nolo jam in recentissimo Parentis luctu Vulnus ipsi refricari, aut tot jucundissima pueri blandimenta, tot charissimis manibus infixata oscula, tot jocos infantes, tot bonæ mentis vestigia, aut teneros unguiculos, aut vultum amore dignum, aut corporis staturam relevandis curarum molestiis aptam totiesque sinu receptam in memoriam revocare. Nihil sane in ipso non fuit parentibus jucundum ac suave, nisi quando æger esse, & quando mori, imo citius mortuus esse quam mori visus est. Quod ipsum quo fato factum fuerit, prout *fratris Charissimi*, DN. BERNHARD BARNSTORFFII D. & P. P. manu consignatum accepi, planissime nunc reddam. Quod morbum, quo *Suavissimus nunc vero desideratiss. Filiatus Summe Rever. DN. D. QVISTORPII, &c. &c. Cognati ac Collegæ nostri honoratissimi decubuit attinget; is, quantum ex Symptoma-*



ptomatum presentia concludere licuit, febris acuta, quæ ex collævie  
verminosa omnino sine dubio originem traxerat. Præter intentum enim  
quem in toto percepit corpore ardorem continue adfuerunt narium fri-  
ctio, tormina ventris cum inflatione & distensione hypochondriorum,  
nausea, pulsus frequens & nonnunquam interruptus, anxietas cordis  
ingens respirandi difficultas, inquietudo, vigilia nimia &c. a qui-  
bus, cum omnem avertebatur medicinam, tenellum & languidum  
ejus corpus intra triduum adeo fuit enervatum & debilitatum, ut acce-  
dente tandem cum levissimis deliriis & hypothytiis oculorum caligine,  
extremarum corporis partium frigore plane succumbere, & nimis ma-  
ture, placidissime tamen inter preces & lacrymas mæstissimorum Dn-  
Parentum & consanguineorum, quos DEUS soletur omnes, vitam suam  
 finire coactus fuerit. Hactenus ille. Excessit autem optimus puer  
 postquam vix quarto abhinc mense quintum ætatis annum in-  
 gressus est: Sed satis tamen cœlesti gaudio maturus. Namq[ue]  
 quod summa vocis contentione atq[ue] affectus intimi testificatione  
 moriturus precandi formulas, *Hilff Gott allezeit/ Das Blut Je-  
 su Christi etc.* Toties & cum maximo præsentis in corde divini  
 Spiritus omine enuntiaverit; facit illud, ut nobis omnibus pro  
 suo cuiq[ue] ordine ac statu obitus ejusmodi similitudinem, vitæ  
 sub finem innocentiam ac Spiritus subsidia apprecher. Sic, quia  
 ut in gratiæ sic in gloriæ regno nemo est, qui nihil, nemo qui om-  
 nia habeat, suum quisque felicitatis gradum tenebimus.


Cum vero a Meridie tenerum corpus in spem futuri seculi  
& restituentæ animæ solemniter reponendum sit; neminemq[ue]  
 fore judicem qui in acerbo luctu Summe Reverendum Parentem  
 erigere nolit vel solari. Dabunt illud officii Procures civisque  
 *Academiae literarumq[ue] fautores*, quos hoc nomine studiose com-  
 dellatos ac invitatos volo, *QVISTORPIANÆ memoria*; &  
 quando funus deducetur, frequentis aderunt, puero quidem exe-  
 quias ibunt; Parentibus autem rem gratam facient, meaque  
 vicissim studia & officia, si qua usus veniet,  
 provocabunt.

Convenietur a meridie hora I, in aede D. Nicolai.  
 PP. Sub Sigillo Rectoratus d. 14. Dec. 1701.




















mutare aut potius pervertere suas vices non co-  
ranta quivis cum voluptate in sui status conditio-  
Ut nunquam ullus ejus satietate nedum tædio  
quam emendationis (quam ipse cœlitum statu  
desiderio pertrahendus sit. Fallitur enim, si quod  
dico, quisquis gradum cœlestis gloriæ quemcu-  
titur; quod ullus velit transire, aut ad altiorem  
appetat. Quod vero videtur similis, eo quod  
exemplo hujus negotii caret. Civitatem certe  
tutam videremus superiores alere ac subditos, pro-  
clientes completi; e quibus illa partim coaluit  
nervos habet ac administratur. Recedi autem hinc  
ab animi impotentia ac turbis, si nostra conditio  
vita committi debet. Tum vero in republica bene  
omnis bonus feret sine invidia, mos geritur mag-  
am sibi operam cives navant: omnes tamen illi  
tem sunt & ejus jura integerrima ulurpant. Societas  
fere propius ad institutum accedit. Quis est pro  
arte illustris qui non æquissima mente patitur  
ad summa eniti, & ne velit quidem Jctus esse?  
næ Studiosus ad stat obtrectator Theologiæ  
omnes ad literarum gloriam grassantur, quam reli-  
positis attingunt sine alterius cujusvis fraude ve-  
Imo domestica item Societas vel in pueris ætate  
diversis, & tamen æquo jure ad patrem familiam &  
pertinentibus exemplum præbet; ubi plus quam  
si serio omnes simul primogeniti esse vellent aut  
Num existimas, si primæ originis terminos neminem  
quemquam potuisse Adamo succensere, quod illi  
parentem esse omnium viventium; num putas quod  
circo potuisse de labe felicitati suæ illata conque-  
credo. Quare cum in humanis & quæ præ manibus  
venire sentiamus; ut unum idemque bonum plurimè

Copyright 4/1999 XxyMaster GmbH www.xymaster.com

VierFarbselector Standard - Euro





alio modo ac gradu participant! neque ullus torvo alterum vul-  
 tu aut ambitiosa fronte respiciat: Cur non idem, & multo ad  
 huc facilius, in cælo confisteret, quod terra etiam capi de pre-  
 hendimus. Quo tamen ad ipsam rem, cujus causa nunc scribo,  
 progrediar; non dubito pronam hinc mihi nasci materiam, quæ  
 præsentem luctum tantis per relevare queat. nil dicam de ali-  
 is, quæis gradatim distribuetur cælestis gloria: nec habeo quod  
 contrapietatis doctores excipiam, qui solenne oraculum Dan.  
 XII. v. 3. ita inter pretantur: Eos qui fidei rationem Salutariter  
 edocti fuerint, firmanenti splendore conspicuos; quique illis  
 docendi operam navaverint stellarum lumini æquiparandos fore.  
 Quamquam domi f. instituendo & foras exemplo Jctus  
 quoque (de quo aliqui ad justitiam nomen l. c. accipiunt)  
 in pietatis negoti.overe possit, unde olim in syderis  
 locum abeat. offset: an tenera etiam ætas  
 eos ferat. adum capiant? Et fatendum  
 plan. c prolixam in fide pugnam  
 neretur, infantum animas  
 Enimvero sicut infanti-  
 enus hodiernum nobis  
 sis eadem profutura  
 am supplementum  
 mors statim in pri-  
 mpediat, deprehendo.  
 am fuit, cur gaudium im-  
 te si etiam calamitates in pio-  
 biliori gloriæ gradu permutandas  
 ates licet non multa perpeffi erunt, quos  
 in prima statim herba suffocat. Vita ipsa  
 bonum est. od alius forte cujusvis mali tolerantia ultro redi-  
 meret, quæque justo prius destitui ad supremum calamitatis ar-  
 ticulum proxime accedit. Qvalis calamitas cum spem certissi-  
 mam in *optimo Puero* hodie sepeliendo reclinatam fatali ictu ante-

